

nostrae indignatione incensus, securi verberaret templi ararumque postes, duriter habitus, fustibusq; pane contusus, agrè vitam fugà servavit. Cramerus lib. 1. cap. 11. Ignominiosissimum supplicii, quo secta religionisque suae adversarios mulctabant, genus fuit crux, cui affigebantur Christiani, ut miserabili funestoque spectaculo referrent Christum, auctorem sui nominis, cui id probro datum esse, facile intelligamus ex Helmoldo, loc. cit. Propterea Otto Episcopus Bambergensis ex Pomerania redux, Pomeranos vocavit barbaros, truces, idololatrias, Christi hostes, memor laboris, quem impenderat in reducendam pertinacissimam gentem, quae jam duabus vicibus desciverat, ut colligit ex Alberto Crantzio Elias Reusnerus Isagog. ad A. 1124. Quo factum est, ut Otto Pomeranorum apostolus diceretur, quod evincere est ex Praesulum Bambergensium, qui hoc titulo illum auctent, epistola, anno, ut pro vero accipimus, 1121. post Christum natum scripta. Boleslaus Dux Polonorum alius literis, quae apud Cramerum l. 1. cap. 13. extant, crudam Pomeranorum barbariem perstringit: & diu ante eum Helmoldum ingenitam genti crudelitatem, ac saturari nesciam exaggerat, l. 1. cap. 52. illo ipso etiam Thraces, de quibus prodicit Florus l. 3. cap. 4. Germanosque veteres, ut ex Tacito constat, imitatam, quod humanis hostiis litaret, velut est apud Helmold. d. l.

(c) Cur ita sentiam, causa est, quod Helmoldus referat argumentum victoria fuisse, si, dum rem divinam facerent, sacrificia addidissent honori Radegasti, l. cap. 23. Crantzius Vandal. l. 4. cap. penult. Unde minime dubium est, huic supplicasse, quum victorias peterent, siquidem eidem litarent, si victorias obtinissent. Consentit Ditmarus Episcopus, qui Rethram, quam ipse Riedegastum vocat, à bellaturis salutatam, & à prosperè reversis premiis honoratam confirmat, l. 6. p. 136. Quod quoniam ad Radegastianum idoli, quod illic positum erat, cultum pertineat, non est temerè ambigendum. Neque saltem Obotritorum, sed etiam Riadororum (Redariorum) hoc sacrum fuisse, nullo negotio elicias ex Helmoldo l. 1. cap. 52. & lib. eod. cap. 2. c. 21. c. 23. Redarii enim procul dubio accenseantur Pomerani, & Rhetre velut horum metropolis memoratur. Imago atque effigies Radegasti, qualem exhibuit doctissimus popularis meus H. Bangertus, vid. inter annotat. ad Helmold. l. 1. cap. 52. Conf. Cram. l. 1. cap. 32. Io. Georg. Schoch in summar. Chron. Lipsiens. p. 44. Paulus Eriabern à profano hoc

B

impio.